Ius Canonicum.

Nazymanowicz Iacobi: Quaestio de immunitate ecclesiae.

QVÆSTIO
DE
Immunitate Ecclesiæ:

QVAM

Magnificus & Adm. R:ndus ac Clariss. D.
D. IACOBVS NAYMANOWICZ I. V. D.
& Professor, Canonicus Crac. Archidiaconus Pilcensis, &c. &c.

Pro solenni inauguratione in Doctores Vtriusq; I. public resoluendam proponet

Adm. R:ndis DD. BARTHOLOMÆO
IANVSCHOWIC:
IACOBO GORSKI, I. V. Licentiatis.

Sub fœlicibus auspiciis Magnifici & Clarissimi Dñi, CHRISTOPHORI NAYMANOWICZ Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, Consulis Crac. Almæ Academiæ Generalis Rectoris.

CRACOVIAE,
Ad Ædes SS. Trinitatis, Ord. FF. Prædicatorũ,
Die 6. April. Anno M DC. XXXIV.



Est Leo sunt Aquilæ. Diademata; miles, arista,
Hinc decus, hinc magnis pax fluit excubijs
Donec erunt Aquilæ, Diademata, miles, arista,
Atq; Leo infractus, Pax decus, vsq; & erunt,
Viue Leo, floretæ, Aquilæ, Diademata, arista,
Fortis & Actœo, miles in imperio.

Sereniſsimo, Eminentiſsimo,

IOANNI ALBERTO,

Dei Gratia Poloniæ & Suecię Principi S. R. E. Diacono. Cardinali, Epiſcopatus Crac. Adminiſtratori, Duci Seuerien. Acad. Crac. Cancellario, &c. &c. Domino

Domino Clementiſsimo.

PRodit quæſtio ex ſacrarijs facultatis Iuridicæ, & ad Te rectà diuertit Princeps Eminentiſſime. Et quid enim aliô diuerteret? vel deflecteret! Academia Tua eſt, & Tu illius caput: Cur igitur non ſe Tibi animis & lucubrationibus ſuis, totam deuotam præbeat: Honores Academici quos gradus appellamus, ex Tua Authoritate, ſcilicet Cancellarij Summi Academiæ protectoris, dependent; Et Cur igitur. Non Tibi in acceptis referant? Iuris & Æqui (quam profitemur) ſcientia in hoc celeberimo Iageloniadum Lycæo Petrum Viſcheum, Epiſcopum Cracouień primum Doctorem, & Profeſſorem in ſua Cathedra

vidit & habuit; Et Cur igitur ſua decora, ſua inſignia, & ornamenta alio quam in ſucceſſores, Epiſcopos grati & memoris animi teſſeram effundat; Quid taceam, quid diſſimulem: Diui Vladiſlai Iagelonis Proaui Tui omni æuo digniſſimi Poloniæ Regis, in Nos & Literas Noſtras beneficia, illam pietatem, & illum Zelum vt verè dici poſſet, Polonia niſi Vladiſlaum Iagelonem Regẽ haberet Academiam nullam haberet. Nimirum inuidit hanc anteceſſoribus Regibus fortuna gloriam, vt qui quantum ad regni felicitatem, & gubernacula in bonis Literis fuerit poſitum, illa ætate nondum intelligerent, vel opus adgreſſi, in medio deficerent; Soli Tuo Princeps Eminentiſſime D. Vladislao debebatur, iſta Laus, & iſthæc gloria, vt qui ſolus probè intelligeret, quod Imperator Noſter in Proemio Inſtitutionũ ſuarum. (loco ſcilicet eminẽti, vt ab omnibus videretur) ſcitè protulit, Imperatoriam Maieſtatem, non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus armatam eſſe oportere, vt vtrumq; tempus & bellorum & pacis, rectè poſſit gubernari; Solus illius

æui

æui fortunatiſſimus Princeps cum Iulio Cæſare, vna manu gladium, altera librum geſtans, ſe ex vtroq; Regem demonſtrauit. Solus cum Alexãdro Macedone, inter bellicos tumultus & Mauortia ſigna, ſui Homeri, hoc eſt Profeſſorum ſapientiæ obliuiſci noluit. Solus deniq; cum Diuino Platone, Rempub. ſine literis ſtare non poſſe cenſuit; Nec in hoc ſolum Regium & Generoſum illum animum mireris, illud occultum & ſecretum, quod Regni ſui Incolas & ſuos Ciues, non aliâ diſciplinâ, non aliâ inſtitutione, quam hac ipſa Academicâ, imbui & inſtitui voluerit: Huius ille diſciplinæ Magiſtros ac Præceptores per remotiora conquiſitos honeſtiſſimis conditionibus, ad Regni & Nobilitatis Priuilegia vocauit, Regalibus inſignijs condecorauit, primos nouæ vineæ cultores, Ciuitate ſua donauit, ita nimirum arbitratus, vt quemadmodum, non omni pedi omnis calceus congruit, ita non omni populo, omnis diſciplina & inſtitutio. Quid enim? ſi populus Patriæ amans, ad eius cõmunem vtilitatem omnia refferat: In-

 ſtitutio

ſtitutio vero ſua duntaxàt non quæ Patriæ, quæ Reipub. quærat. Quid ſi populus armis & Patriæ propugnādæ natus literas compendio quærat, Inſtitutio ita artificioſa, quæ prima ſua elementa, prima cunabula carminum, & metrorum, inuolucris obumbrata & obſcurata Oedipū, non Dauum, non ætatem infantilem requirat: Quid ſi iuuentus ad ea quæ cernit, & in quibus ſe exercet naturâ ſolers & capax; Inſtitutio ita ordinata, quæ ætatem teneram Comedorū. atq; Tragedorum doctis fabulis in ſcena in theatro ita ocupat, vt prius artes mimorum & decoctorum, quàm Grammaticorum rudimenta & pietatis officia condiſcat, Et minora hæc forte, tametſi auream ætatem, non modicè ſuffurentur, ſed illud maius, illud pernitioſius, quod ex tenerioribus iſtis Roſcijs frequēter in Repub. multos Cetegos & Catilinas videas, quæ enim iuuenis in Scena imbuit, prouectus malo ſuo exercet. Noluit prudentiſſimus Princeps, tam periculoſis ſcopulis, tenellam ætatem obijcere. Sed tales tibi ô Patria Magiſtros & Præceptores quæſiuit,

ſiuit, qui generoſam tuam pubem aurea germina, ad omnem pietatem & eruditionem, planâ, ac regiâ viâ ducerent, qui moribus & Oratione ſimplices, fauorem hominum blanditijs, & aſſentationibus, colligere turpè æſtimarēt, qui ad veritatē omnia nihil ad voluptatem, nihil ad auram vulgi captandam loqui nouerint. Vno verbo. Qui modico cenſu contenti, in paupertate Academica Tuam indolem, Tua ingenia, non Patrimonia curarēt. Hæc ſcilicet Diui illius Regis Aui Tui, Princeps Eminentiſſime prudentia. Hæc de patriâ ſollicita cura, cuius Tu cum expreſſam & viuam imaginem, referas, Quid mirum ſi Muſæ Academicæ tanti Principis Nomini obligatæ. Te deſideratis obſequijs recreare ad properāt, in Tuum ſeruitiū omnia ſua ſtudia, omnia officia, & ſe ipſos effundant, ſpem bonā concipientes. Quod quemadmodum cum Diuo illo Vladislao Iagelone, omnia fauſta & fælicia bona venerunt nobis in Poloniam. Hic enim primus S. Fidem Romanam & Orthodoxam ſuis Lituanis & Vernaculis, in Polonia auxit. Hic Regnum hoc Nobiliſ-

ſimis

ſimis Ducatibus Lithuanico atque Pruſsico ampliauit: Hic bonas literas, ſapientiam & eruditionem, pulſâ procul barbarie in Regni ſedem primariam introduxit. Ita certe hæc ſpes eadem omnes bonos tenet, cum alio Tuo VLADISLAO, Sereniſsimo Regni Poloniæ REGE, bonam fortunam ac meliora tempora in Poloniam reditura. Hic enim eſt Princeps ille auſpicatiſsimus, Qui ſimul ac Regnum ingreſſus ac Diademate redimitus eſt, pro S. Romana Fide contra Ruſſos ac Schiſmaticos generoſus extitit, tumentes atq; minaces animos magno iudicio ſedauit, ac conſopiuit, Hic qui Moſchi potentiſsimi, (cum ſumma gentis tuæ gloria ô Polonia) ſumma dexteritate vim & potẽtiam fregit. Hic qui rem Academicam multis retro temporibus, inanibus, litibus, & ſumptibus, per inuidiam fatigatam Regia authoritate reſtituit, bonas Literas in tuto collocauit, Ciuitatem Regni ſui primariam, motibus atq; cædibus quotidianis liberauit, Et Hæc Tua eſt Laus & gloria Princeps Eminentiſsime, quam lubentes gratulamur, ac Nos etiam ipſos. Noſtraq; iſthæc Vtriuſq; Iuris & Æqui ſtudia, ad omnes Eminentiſsimæ Veſtræ Serenitatis, Nutus, vouemus & conſecramus.

Eminentiſſimæ Serenitatis Veſtræ
deuotiſſimi
M. BARTHOLOMAEVS IANVSCHOVIC.
IACOBVS GORSKI I. V. Licentiati.

QVÆSTIO
DE
IMMVNITATE ECCLESIÆ:

Quantum ad confugientes ad eam. Ad c. Inter alia. Extr. De Immunit: Ecclesiæ. Iunct. L. Fideli. C. De his qui ad Ecclesiam confugiunt.

V. Ecclesia Authoritate Romani Pontificis vel Episcopi loci erecta, Iure Diuino vel Humano. Quantum ad fugiẽtes ad eam, ad 40 vel 30 passus sine discrimine & differẽtia delictorũ, iuxta quod Sacri Canones censent, nec non Legum ac Imperatorum placita cum potestate coercendi & puniendi, violatores gaudeat Immunitate perfugij ita quòd in ea receptus, nullo modo inde violenter extrahi, nec ad pænam personalem, vel corporalem, puta sanguinis vel mutilationis vel aliam istiusmodi condemnari valeat: nec ne?

CONCLVSIO I.

Immunitas Ecclesiæ, vt malefactor ad eam fugiens, ab ea per vim à potestate, sæculari, non possit abstrahi, à Lege Diuina per Moysen tradita: Deindè authoritate Vniuersalis Ecclesiæ, & sacrorum Canonum est firmata & approbata.

COROLLARIA.

1. Errant qui comminiscuntur, inter quos est Joannes Ferariensis, in sua Praxi. Tit: De Formâ inquisitionis. N. 31. CHRISTVM Dñum, quod ementes & vendentes eiecisset ex templo, exemplo suo docuisse eÿciendos, magis esse latrones, homicidas, & alios capitaliũ criminum obnoxios, ne domus Domini spelunca efficiatur latronum.

2. Prælatus seu Rector Ecclesiæ, malefactorem ad Sacra limina profugum, tenetur defendere ab agressoribus, nec eum sæculari potestati extradere, nisi solenni cautione acceptâ, De vitâ & membris seruandis.

3. Nullum est Iuris dubium, si fugiens ad Ecclesiam,

clesiam, non habeat bona quibus sibi prouideat, Rectorem seu Oeconomum Ecclesiæ teneri sibi prouidere ad instar pauperis, vel custodis carceris qui in carceratis præstat impensas.

4. Iuri et rationi repugnat, quod quidam Ecclesiarum Rectores, eos qui se Dominicis clauibus custodiendos committunt, sub custodiâ retinent, obsides ponunt, vinciunt, obsignant, aliquando per subtractionem necessariorum exire compellunt.

5. Malefactor carceribus vinctus, à custode carceris vt die festo audiret Missam, cum promissione de redeundo, dimissus & licentiatus ingressus Ecclesiam, si non vult redire, allegans immunitatem, non debet inde auelli.

6. Minimè pugnat cum Sanctorum Canonũ, authoritate hoc idem Immunitatis & Asyli Ecclesiastici Priuilegium competere, ne dum Ecclesiæ consecratæ, sed etiam de proximo consecrandæ, dum sit fundata authoritate superioris.

7. Idem existimamus, de Ecclesiâ Interdicto subiectâ, ad instar Clerici suspensi, Excommunicati, vel Interdicti, qui non obstantibus dictis censuris, retinet priuilegium circa iniectionem manuũ.

8. Aliter res se habet de Ecclesiâ totaliter de-

ſtructâ, & in quâ non extant aliqua ædificia: illam ſcilicet non gaudere prædictâ immunitate ad inſtar degradati, & depoſiti, qui omni Priuilegio eſt exauthoratus & denudatus, & tantô magis ſi Eccleſia, ſit deſtructa, authoritate Epiſcopi, vel per naturam, ſine ſpe reparationis & reædificationis.

9. Catholica & laudanda eſt ſententia quod homicida vel alius malefactor, manus familiæ clapſus, & ad Sacramentum Sacratiſſimæ Euchariſtiæ, quam forte Presbyter in publico defert, fugiens, gaudeat immunitate Eccleſiæ: licet aliud obtineat in damnato ad mortem qui in carceribus, & vinculis recipit, Sacrum corpus Domini.

10. Oratoria priuata & Capellæ quæ priuatim in domibus retinentur tametſi in his Diuina celebrentur, intantum gaudent hac immunitate ſi authoritate Epiſcopi fuerint errecta & eius viſitationi obnoxia; alias ſecus.

CONCLVSIO II.

Priuilegium conceſſum Eccleſię, vt liber homo ad eam fugiens gaudeat Immunitate, extenditur ad 40. paſſus, ſi Eccleſia ſit Ma-

ſit Matrix, ſin verò Capella & Oratorium ad 30.

COROLLARIA.

1. Qui captiuus pœnæ corporis & ſanguinis obnoxius, ducitur fortè per ambitum Eccleſiæ vel Cæmeterium, ſi progredi noluerit inuitus, & reluctans tanquam extra Teritorium Iudicis ſecularis, citra violationem immunitatis Eccleſiaſticæ non poteſt extrahi.

2. Si circa Cathedralem Collegiatam vel Matricem Eccleſiam, cæmeteriũ ſit in minori ſpatio, quã ſunt dicti paſſus præcingitur: immunitas Eccleſiæ nihilominus ad ſpatium dictorum paſſuum protenditur, dummodò intra illos paſſus, alia domus extranea id eſt laicorum non interponatur.

3. Non imus inficias valere conſuetudinem in contrarium, ſcilicet quod dicti paſſus non ſemper, nec vbiq; habeant prædictam Immunitatem, maximè ſi Eccleſia Monaſterium vel Capella intra ambitum murorum, ciuitatis ve caſtelli conſiſtat, vbi propter anguſtiam loci, prædicti paſſus obſeruari non poſſunt.

4. Liber homo metu pœnæ vel carcerũ in porticu vel ostio Ecclesiæ consistens, non potest inde violentus extrahi, & hoc siue à parte ostij versus Ecclesiam, siue à parte quæ est extra, versus locum profanum fuerit constitutus.

5. Idem volumus in eo qui reus criminis intra septa Ecclesiæ consederit, nam vt sic tanquam in Sacrario, constitutus gaudet, iure perfugij.

6, Iuri & rationi congruit idem ius immunitatis suffragari, Hospitalibus Orphanotrophijs, Gerunotrophijs, Xenodochijs, Brophotrophijs, Ptochotrophijs, Ascetrijs, nec non montibus pietatis & misericordiæ, tametsi hæc extra illos passus Ecclesiæ consistant, dummodò autoritate Episcopi fuerint erecta.

7: Non placet opinio tenentiũ Hospitale, quod non est principaliter ad Diuina celebranda institutum, nec habet dotem assignatam, nec Vicarium perpetuum carere iure immunitatis Ecclesiasticæ

8. Palatium Episcopi, Cardinalis, & tanto magis Papæ, dubium non est gaudere hac eadem immunitate, tametsi extra dictos passus consistant.

9. De domibus inferiorum Prælatorum illud placet, quod hi si habeant domos proprias intra

dictos

dictos passus, vel sit quidem domus Ecclesiæ, sed extra dictos passus non habere priuilegiũ perfugij nisi dicta sua domus habeat Capellam, cum authoritate Episcopi, nam vt sic tota domus prælati pro Cæmeterio putabitur.

10. Quod attinet Domus Ministrorum Ecclesiæ, in quibus Clerici, Monachi, Præsbyteri circa ministerium Ecclesiæ morantur certi & explorati, iuris est illas, cum omni illo quidquid fuerit interiacens, siue in Cellulis, siue in domibus, balneis, hortulis, areis, porticibus, nec non omnibus quæ intra ambitum Ecclesiæ consistunt, & est vnum ad omnia ostium habere Ius immunitatis, & confugientes interioris templi vice tueri.

CONCLVSIO III.

DIspositio Iuris de Immunitate Ecclesiæ, quantum ad confugientes ad eam, est prohibitoria certarum personarum, & ideo omnes illâ gaudent, quibus à Lege & Canone expreßè non prohibetur.

COROL-

COROLLARIA.

1. *Latro publicus qui itinera & stratas obsidet, vt transeuntes deprædetur. Itemq́; Asassinus qui pecuniâ alioue precio conductus hominem occidit, excluduntur à tutella Altaris & Ecclesiæ.*

2. *Ad eum numerum referuntur omnes homicidæ qui data opera, & ex proposito homines occidunt vel mutilant; Itemq́; qui animo occidendi, vel mutilandi, alios percutiunt, tametsi ex percusione, Mors, vel mutilatio secuta non fuerit.*

3. *Nullum est dubium. Quod Ioab filius Saruiæ, qui Abner, filium Ner, & Amasam filium Lether, principes exercitus Isràël, proditoriè amplexando, interemit & effudit sanguinem belli, in pace, iustissimè à Salamone Rege Isràël, inter altare est interfectus.*

4. *Eadem iuris ratio, omnes Veneficos qui toxicâ, cicutâ vel alio quouis veneno, alios enecant, ab Altaris tutellâ, & perfugio, excludit.*

5. *Fur manifestus qui cum furto deprehenditur vel contra quem in publico de furto est inclamatum. Itemq; qui per confessionem, vel facti euidentiam furti conuincitur, in loco sacro constitutus, à iustitiâ seculari ad pœnas Legum licitè postulatur.*

6. *Incendiarius qui Odio, auaritiâ, Inuidiâ, Ædes, Vicinorum incendit. Itemq́; qui auxilium operam, consilium*

silium, fauorem, præstat Ara salutis, & misericordiæ, nequaquam se tueri potest.

7. Judæi ob furta, rapinas, scelera, à iustitiâ sæculari requisiti, & ad sacras Ædes profugi, non merentur immunitatem Ecclesiæ, nisi zelo fidei & non ad euasionem pœnæ, cessante omni fraude, ad sacram Aram confugerint.

8. Raptores virginum Matrimonij causa, vel alias ad Ædem sacram profugi, à potestate & iustitiâ sæculari requisiti, immunitate perfugij, & Asyli Ecclesiastici nequaquam gaudere debent.

9. Confugiens ad Ecclesiam malefactor, super quo data est cautio, sufficiens, per requirentem de impunitate personæ, & de membris seruandis non debet gaudere immunitate Ecclesiæ quo minus inde abstrahatur, & Sacerdos qui illum sub dictâ cautione non extradiderit, & ille aufugerit, tenetur illum quærere, vel æstimationem damni, iuxta quod Iudex arbitrabitur, cōpensare.

10. Clericus in ordine sacro constitutus, criminis obnoxius, licitè ex loco sacro, auellitur, vt in carceres conijciatur, nisi crimen tale fuerit, propter quod post degradationem tradendus esset, curiæ sæculari, vel nisi carcer fuerit perpetuus, in pane doloris & aqua angustiæ.

CONCLVSIO IV.

Qui aduersus Ecclesiam, locum sacrum, sanctum, religiosum deliquit, immunitatē eius non meretur.

COROLLARIA.

1. Blasphemans Nomen Domini, vel honorem Beatissimæ Genitricis, Saluatoris Nostri, insectans, vel aliter nefandū virus linguæ, in Sanctos Dei, Ecclesiam & eius Sacramēta euibrans, immunitate confugij priuatur.

2. Schismatici qui Vnitatem Ecclesiæ scindūt, & aduersus supremum Ecclesiæ Pastorem, rebellionem mouent; Itemq; Apostatæ, qui à statu obedientiæ & Religionis contumaciter recedunt, ad pænæ euasionem Ecclesiæ immunitate & Patrocinio nequaquam se tueri possunt.

3. Eius ordinis sunt omnes Nostri temporis Hæretici, qui extra gremium Ecclesiæ constituti, Orthodoxæ fidei fundamenta conuellunt.

4. Vsurpatores bonorum Ecclesiæ, Itemq; Decimarum raptores, Iudicio Ecclesiæ, vel sæculari conuicti

conuicti & condemnati, si in termino executionis ad Ecclesiæ limina confugerint, licitè inde auelli & abstrahi poßunt.

5. Laici & sæculares, quătumcunq; in dignitate & potestate constituti qui irrequisitâ Romanâ sede, onera vel collectas Clero imponunt, & Ecclesiam sub Tributum redigunt, vel alias & aliter eius Iurisdictionem perturbant, immunitatem Ecclesiæ amittunt.

6. Qui tollit rem sacram de loco sacro, vel sacram de non sacro, vel non sacram de loco sacro, ad Ecclesiam confugiens, frustra eius immunitatē implorat, contra quam manu sacrilegâ, deliquit.

7. Homicidium in Ecclesiâ spe impunitatis committens, non tantum illius Ecclesiæ, immunitate priuatur & ab eâ abduci potest, sed etiam à quacunq; aliâ, Idemq; est in eo, qui propè Ecclesiam deliquit, vt citiùs ad illam confugiat.

8. Fortius aßeritur crimen, in Ecclesia commißum, non tantum eius authorem priuare, immunitate Ecclesiarum, quoad illud delictum, sed etiam quo ad omnia alia crimina, extra locum sacrum admißa.

9. Non ſuccumbunt huic immunitatis priuationi, illi, qui ceſsante dolo, & inſidijs, nec datâ operâ, ſed fortuitò, nec propter inimicitias veteres, ſed ex verbis contumelioſis, calore iracundiæ. Homicidium, Mutilationem, vel aliud iſtiusmodi intra ſacra limina admiſerint.

10. Cenſuris Eccleſiæ innodati, vtpotè Excōmunicati, ſuſpenſi & Interdicti, ab Homine, vel Canone, etiam ſecuta declaratione, Immunitatem Eccleſiæ non aliter amittunt, quàm ſi in morâ petendæ abſolutionis fuerint.

CONCLVSIO V.

In caſu dubio an fugiens ad Eccleſiam, debeat gaudere immunitate Eccleſię vel non? Poteſtas Eccleſiaſtica non ſæcularis diſcernet, & caſum dubiũ iuxta quod Canones cenſent, & non Legum Ciuiliũ ſtatuta, definiet.

COROLLARIA.

1. Non eſt toleranda ſanctio Iuſtiniani, in

Authen-

Authentico. De mandatis Principum, §. Neq; autem. Col: 3. Secundum quam liber homo ære publico grauatus, si ad Ecclesiam confugiat, careat eius patrocinio & immunitate.

2. *Non cõuincit argumentatio Iasonis. l. 2. ff. De Iurisdictione omnium Iudicum, tenentis ex eo quod debitor, ære alieno onustus, & de fugâ suspectus poßit capi, die feriato, temporeque, celebrationi Diuorum publicè Sancto; poße perinde eundem debitorem, ex loco sacro inuitum trahi, & abduci, sumpto argumento à tempore ad locum.*

3. *Non inficiamur tamen ex sententia Couaruuiæ, Variarum resolutionum lib. 2. cap: 20. N. 14. Opinionem Iasonis apud Hispanos poße admitti in mercatoribus, & campsoribus, qui magno Reipub. dispẽdio ex pecuniâ, & rebus alienis, dum negotiationem quæstuariam exercent, operam vsuris, & fænoribus dantes, lautè & opiparè viuentes, decocti tandem versuram faciunt, & ad Ecclesiam fugientes creditores omnes miserè fallunt.*

4. *Exorbitat contra rationem, & veritatem iuris nostri, sententia Glosæ Iuris Municipalis.*

Art. 30 Vers. Notandum etiam; quæ vult quod Maleficus insequentes ad cæmiterium fugiens, si Sacerdotes illic non adsint, exinde capi, & abduci possit.

5. *Minus valet eiusdem iuris Municipalis Interpretum sententia, cui suffragatur Imperator, quod Homicida incarceratus, si peruim rupto carcere, manus iusticiæ euaserit & ad Ecclesiam cõfugerit, Interdicto. Unde vi. repeti & restitui debeat.*

6. *Stante statuto de Banito & Infami, impuné offendendo, & quoquo locorũ capiendo, si ad Ecclesiam confugiat, non potest inde capi, abduci, nec impuné offendi.*

7. *Si potestas secularis, pronunciat malefactorem ad Ecclesiam profugum, non debere gaudere immunitate Ecclesiæ, & illum instanter requirat. Contra verò Prælatus vel Rector Ecclesiæ, ipsum debere gaudere declarat, Judex secularis citra violationem immunitatis Ecclesiasticæ, & Loci sacri, non potest illum extrahere, sed iudicium suum, iudicio Ecclesiæ subijcere debet.*

8. Si

8. Si delinquens confugiat ad Ecclesiam, alicuius loci particularis, Villæ, vel Pagi, vbi non est iudex Ecclesiasticus; est tamen Judex secularis, in casu dubio, Reus criminis ad Ecclesiam profugus, debet à Rectore Ecclesiæ detineri, donec cognitio fiat per Ordinarium loci.

9. Negare non possumus, nec volumus, quod stante Notorietate Juris, vel facti fugientem ad Ecclesiam malefactorem, secundùm Sanctiones Ecclesiasticas, non posse, nec debere gaudere immunitate Ecclesiæ, quod Judex secularis propriâ authoritate absque licentiâ Episcopi, vel Ecclesiæ Prælati, possit taliter fugientem, Notorium, ab altari auellere & abducere.

10. In casu in quo profugus ad Ecclesiam, homicida vel publicus Latro, nō potest gaudere immunitate Ecclesiæ. Rector seu Prælatus, non debet illum per suam familiam abduci facere, sed tamen tenetur hoc dissimulare & abducentes pati.

CONCLVSIO VI.

Qui immunitatem Ecclesiæ, Loci sacri,

sancti,

ſancti, religioſi, violant, & fugientes ad eam per vim, & violenter abſtrahunt, grauiſſimas pænas iure vtroque ſancitas incurrunt.

COROLLARIA.

1. Laicus ſeu ſæcularis, cuiuscunque ſtatus, Ordinis vel conditionis, Princeps, vel priuatus, qui reum criminis, ad Eccleſiam profugum, ſinè licentiâ & Authoritate Prælati Eccleſiæ, abſtrahit, hoc ipſo ad inſtar ſacrilegij, efficitur de foro Eccleſiæ, ita quod exceptione, incompetentiæ Iudicis, & fori, ſe ſe tueri non poſsit.

2. Qui loci ſacri immunitate ſecurum violat, Sententiâ excõmunicationis ipſo iure fulminatur.

3. Juſtâ ſacrorum Canonum animaduerſione, ingreſſu Eccleſiæ priuatur, qui limina Eccleſiæ ingreſſum, ab altari violenter amouet.

4. Eſt in arbitrio Epiſcopi & Ordinarij loci, quod contra violatores, immunitatis Eccleſiaſticæ poſsit, & locum, & perſonas, interdictò Eccleſiæ ſubijcere, & authores publicâ pœnitentiâ ferire.

5. Pænâ Spiritualis Excommunicationis, ſuſpenſio-

pensionis, & Interdicti, non impedit quominus pro modo delicti violatores, immunitatis Ecclesiasticæ, pænâ pecuniariâ, arbitrio Iudicis Ecclesiastici, Ecclesiæ cui facta est iniuria applicanda, puniantur; ac proinde delinquunt, vehementer Prælati Ecclesiæ, qui quantumcunq; ad Ecclesiam fugiens, grauia admiserit delicta, ipsum in totum saluare nituntur, ita quod nullam pænam etiam pecuniariam patiatur.

6. Juris est explorati quod tametsi nemo ab Ecclesia, citra violationem loci sacri, extrahi potest, tamen sic fugiens, et inter altaria constitutus inde potest in ius vocari, et si per se vel per Procuratorem non comparuerit, & Ciuiliter agatur, potest in contumaciam ad bonorum possessionem, ex tribus Decretis seruato Iudiciario ordine contra illum procedi.


7. Confugientem ad limina sacra, abducens, præter pænas, quas incurrit, etiam extractum loco immunitatis restituere tenetur, sicut in alijs restitutoriis Iudicijs, nec sufficit si restitutio fiat, non ad eam Ecclesiam, ex qua fuit extractus, nisi pars vel Ecclesia, ad restitutionem agens consentiat

tiat, vel restitutio ad dictam Ecclesiam de facili fieri non possit.

8. Patronus Ecclesiæ seruum vel alium, ratione criminis & delicti, sibi obnoxium, ab Ecclesiâ extrahens; si Rectorem Ecclesiæ vel eius Vicarium, immunitatem Ecclesiæ defendentem percusserit, læserit, vel mutilauerit, Iuspatronatus in perpetuũ amittit; & posteritas eius vsq; ad quartam generationem, per lineam masculinã, in Collegium Clericorum, nullatenus admittitur sed eousque sunt & debent esse Irregulares.

9. Iure Ciuili Imperatorum Honorij, & Theodosii, (L. 2. C. De his qui ad Ecclesiam confugiunt) qui ad limina sacra malefactorem confugientem per vim abduxerit, tenetur de crimine læsæ Maiestatis, vltimo supplicio afficiẽdus.

10. Excusantur à dictis pænis, violatores, quandòque ignorantiâ inuincibili, quandóque necessitate, consuetudine, concordia, priuilegio, & causâ. Sed hæc non procedunt, nisi cum debito libramine iuris accipiantur.


DIVINI MEA SPES FIDE VERBI, PRÆLVCENTE FACE AD POLVM FERATVR
INGENIO ET ARTE